

Oratio funebris in
heroicum obitum.
Perillistris at
generosissimi domini,
d...

Nycopensis, Nicolaus Laurentii

1 Maa Br. Skytte 1637



National Library
of Sweden

SKYTTE, JOHANNIS


So. Samt.

Förel 1700

Minnesbok

(B2)





ORATIO FUNEBRIS
In Heroicum Obitum.

Per illustris ac Generosissimi Domini,

**DN. IOHANNIS
SKYTTE Junioris,**

Lib. Baronis in **Duderoff/ Dynastæ**
in **Grönfio & Strömsrum &c.** Equitis Auri-
ti, & Chiliarchi maximè Strenui, Domini
quondam Gratosissimi, nunc Bea-
tissimi,

*Qui medio in Prælio, quod pro Chri-
stiana religionis defensione, & Salute Pa-
tria geritur, heroicè occubuit, & placidè in Chri-
sto, Anno partus salutiferi 1636. obdormivit:*

ET

In Regia Academiâ **GUSTAVIANâ**, qua Dor-
pati est ad Embeccam, 9. Junij, Anno 1637. publicè
in Auditorio Majori habita

A

M. NICOLAO LAUR. NYCOP.
Gyllenstiernij olim Alumno.

Dorpati Typis Acad. Anno 1637.



Dn. Aug. L.

120



DOMINUS EXERCITUM NOBISCUM.



Mni quidem etate Pax alma Triumphis innumeris habita fuit potior; quando per eam Ecclesiæ & Reip. tranquillitas propagatur, regiones excoluntur, & Cives liberaliter educantur atq; instituuntur.

Verum, vicinorum sæpius est, ut inclyti Heroës vel inviti, animo tamen infracto, ad arma veniant, & pro Lege, pro Grege, & pro REGE, necessariò depugnent.

*Arma procul jaceant; tamen est fas sumere bellum,
Sin aliter Pacis non licet Arte frui.*

Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dn: GUSTAVUS ADOLPHUS, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ; Dux Esthoniæ & Careliæ; Dominus Ingridiæ &c. Dominus & Rex quondam noster Clementissimus, nunc Beatissimus; id intellexit serenissimè. Αμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς, κατὰ τὸν τῆ ἀρχῆς. Utrumq; , & Rector Bonus, & Bonus Imperator. Calumniantium iniquitates Legibus expulit: Vim atq; injurias Armis repulit, ut bona Sibi suisq; erepta vindicaret. Alienum jussus est depopulari agrum, ut Subditorum fines excolere posset. Ipsa voluit Necessitas, durum illud telum, alienos dirvere muros, ut proprij manerent salvi & starent incolumes. Sic, Deo annuente, & victricibus armis, vivo tanto REGE Dn. GUSTAVO ΑΔΟΛΦΩ, Pace (proh) pulsâ, in tutelâ ac præsidio Bellicæ virtutis, omnia Studia, & rei forensis Laus atq; Industria quieverunt. Reddidit Rex Serenissimus pro Republicâ, pro Aris & Focis, inclytam Vitam! Verum non tam mortem, quàm immortalitatem consecutus est. In perpetuum per Gloriam vivit atq; triumphat.

A tanti Herois Heroico Fato, Serenissima & Potentissima Principissa ac Domina, Dn. CHRISTINA, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regina; Magna Principissa Finlandiæ; Ducissa Esthoniæ & Careliæ; Domina Ingridiæ &c. Domina & Regina nostra Clementissima; ita agit, ut, penes quem, & à quo sunt omnia, Deum Opt. ter Max: in consiliū adhibeat, & ab eo felicem difficilimi operis successum petat: Deo Duce atq; Auspice, pressa Ecclesiæ & S. Regni defensionem suscipit, pacem ereptam, repetit, vim vi repellit; quam ut quacunq; ope possent, à corpore, à capi-

te, & a vitâ propulsarent, Necessitas omnibus, Mos Gentibus, & Feris Natura ipsa
quasi legem præscripsit.

Sunt Illustrissimi & Gloriosissimi SS. Regni Dn. Proceres, qui, ut sanctos Heroes decet, Deo clementer juvante, fortiter se gerunt in adversis; sævientem fortunam, sapius, Christo dante, in adiutorium sui, pudore victam, converterunt. Et, quod Heroum est, magis mortem contemnere, quam vitam odisse volunt & velierunt.

Singulis Inclytis Dn. Heroibus ut sua debetur gloria; sic Perillustri & Generosissimo Heroi & Domino, Dn. JOHANNI SKYTTE, Juniori, L. Baroni in Duderoff/ Dynastæ in Grönsto & Strömstrum/ Equiti Aurato, SS. Reg. Maj. Sveciæ Chiliarcho, & Stargardiæ in Pomeraniâ Commendatori maximè inclyto &c. Domino quondam nostro Gratiioso, nunc piè Beato; quid non debet Respublica Christiana? Injuriâ, proh! affectâ, opem tulit optatam: cui vis & damnum erat illatum, voluit esse portus & refugium. Verùm, cum SS. Rege Divo Dn. GUSTAVO ADOLPHO, & aliis Illustrissimis Dn. Heroibus plurimis & maximis, communem hanc habuit Fortunam, ut in acie pro Rep. Christianâ fortiter pugnando, heroicè occumberet, & piè in Christo moreretur. Sicq; pro mortali hac vitâ, æternam orbi Christiano memoriæ redderet, & sui memoriam atq; desiderium nobis relinqueret immortale!

Quam rem, ut identidem piè meditamur; sic pro tempore est, Claritate, Doctrinâ & Humanitate Præstantissimus Dn. M. NICOLAUS LAURENTII NTCOPENSIS, SS. Th. C. qui cras horâ 9. in Auditorio Majori, publicè pro Concione eandem solenniter eloquetur.

Perillustrem & Generosissimum Dominum, Dn. BENEDICTUM OCHSENSTIERNAM, L. Baronem in Ekebyholm & Süderbo/ Dominum in Rappien/ S. Reg. Maj. Sveciæ Archistabularium, & per Livoniam atq; Ingriam Generalem Gubernatorem, &c. Dominum nostrum Gratiosissimum; humiliter:

Admodum Rey. Nobiliss. Consultiss. Experientiss. Clariss. & Excellentiss. Dn. Academiæ Patres, Collegas & Amicos nostros observanter colendos, reverenter: Nobiliss. & Præstantissimos Dn. Studiosos, amicè invitatos & rogatos volumus, ut dicto tempore adesse haud dedignentur. Intelligent quod Sancti hujus

*Fortunata Anima Herois, post prælia cælum
Purpureos inter Proceres, qui sanguine fusa
Per varia æternam meruerunt funera palinam,
Semper haber, Vita sequiturq; perennis honores.*


Per scriptum Dorpati, 8. Junij, Anno 1637.

V. J. G. humiliter,

V. R. D. observanter,

& V. H. amicè colens

LAURENTIUS LUDENIUS Ph. & J. V. D.
Prof. Juris, Orat. & Poës, & pro s. Univer. R.



ORATIO FVNEBRIS.



*Erillustri atq; Generosissimo Domine, Dno
BENEDICTE OCHSENSTIER-
NA, L. Baro in Elebyholm & Söderbo /
Domine in Rappin &c. S. Regie Maj. Swe-
cie Archistabularis, per Livoniam atq; In-
griam Generalis Gubernator, &c. Domine*

Gratiosissimo:

*Magnifice Dn. Rector, Admodum Reverendi, Nobilissimi,
Consultissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi Dn. Pro-
fessores, Fautores, Promotores & Præceptores, omni honoris cultu
æternum prosequendi: Tuq; Nobilissima atq; Literatissima Seu-
dioforum Corona:*

*Quam sine omnia humana incerta, quam permista fluant, Exordii
quamq; sæpe de medio lepōrum fonte surgat amarum aliquod, propof. a
quod in floribus angat; scitè admodum, & perquam verè, divinâ Dicto.
animi magnitudine ac sapientiâ instructissimus Iobus verbis diser-
tis exponit;*

*Homo, inquit; nato de muliere, brevi vivens tempore, re-
pletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur & conteritur, &
fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

*Praclara pol Historia, & quæ aureis literis ut cordibus no-
Aris penitissimè inscribatur dignissima. Siquidem, Læus disti.*

*Ecce sumus pulvis, sumus ecce miserrima tellus, Expositio
Et nostri fugiunt, ut levis aura, dies. t. memb. 16
Solvimur, ut nebula assurgens, ut in aëra fumus,
Et veluti solvi Sole pruina solet.
Carpimur, ut stipulæ rapido carpuntur ab igni,
Nec nisi vivendo somnus & umbra sumus.*

O Quam brevissimis totum vita nostra curriculum est includi-
sum terminis! quod ipsum dum cogito, cum Iobo hunc in modum
verè exclamo.

B.

Hesterni sumus & ignoramus, quoniam sicut umbra dies no-
stri super terram. Nec immeritò sic exclamo: Quid enim est uni-
versa hominum vita? vestigium nubis est, bulla est, herba solsti-
tialis est; herba cadit, bulla perit, nubes transit; spithama est, non
longè porrigitur; Arvi fœnum est, manserescit, vesperi cœ-
ditur. Arboris folium est, pulvis est, aura est, vadit & non re-
vertitur; pulvis properiter in nihilum vertitur, Arboris folium
à ventorum agitatione dissipatur.

Expositio

2. memb.

l.

Vitam humanam multis premi angustiis, & infinitis onustam
esse miseris, fulgentissimus ille Christianæ Reipub. Sol Augusti-
nus luculentè demonstrat, dum ait: Vita hæc, est vita dubia,
vita cæca, vita arumosa, quam humores tumidant, dolores ex-
tenuant, odores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, jeiunia
macerant, pori dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coar-
ctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas deiscit, juven-
tus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror depri-
mit, & post hæc omnia, mors eam ita interimis, ut cum esse de-
sierit, non fuisse putetur.

B.

Tam infinitis vita nostra exposita est miseris, ut verè cum
Pœtâ dixerò;

Nascimur in lacrymis, lacrymis quoq; vita madescit,
Et vitam rursus linquimus in lacrymis.

Heu sortem humanam! nasci, dolere, mori.

Expositio

3. memb.

Non gravi sine causâ, divinus ille Iobus homines nuper na-
sos cum floribus campi equiparat. Siquidem homo more floris ex
occultis enascitur, & apparet subitò in publico, & statim per mor-
tem trahitur ad occultum; carnis viriditas, nos ostendit; sed
ariditas pulveris, ab aspectibus retrahit.

Expositio,

4. memb.

Haud iniquè, divino spiritu inflatus Iobus, mortalium vi-
tam cum umbra comparat. Nam velut sole ad occasum properante
ideo

Idēd prolixē augentur umbra, us cum diei interitu in noctem abe-
ant; Sic vita est hominis; eica nimirum ad occasum; declinante
luce consumitur, & in nihilum tandem vertitur.

O quā instabilis est vita mortalium! O quā fugax & Conclusio
exordii.
vana nimis, ac tantō vicinior infortunis & morti, quanto feli-
cior ac beatior vulgō aestimatur.

Quae omnia, quā sint perspicuē vera, & quā verē per- Accommo-
datio.
spicua, satis superq̄, proh dolor! confirmat obitus prematurus &
Luctuosissimus Illustris ac Generosi Domini, Dn. JOHANNIS
SKYTTI Junioris, Liberi Baronis & Equitis aurati, Chi-
liarchi maximē Srenui; ut, qui hoc ipsum non animi conspicilla
videat, exocularior Cyclope; vel si videat & dissimulet, maledi-
centior sit Hipponacte.

Et enim, haud multo retrō fluxere menses, posteaquam famā Narr. in
eiusmō
auditioneq̄ accepimus:

Hunc Illustrem ac Generosum Dn. Baronem, & Equitem au- I.
ratum, ut à teneris annis ingenii gloriā magnā; ita tunc temporis
insigni bellica gloria laude claruisse, & solis micantis instar in
sancūm enituisse, ut secundis quasi fortuna ac natura ventis, ex-
pansis velis, ad immortalitatem contendere fuerit conspectus; &
oceanum laudis ingressus, propius ad sempiternae fame portū acce-
dere videretur.

Vndē non minimam de se praclarorum hominum in animis 2.
concitaret spem, & quidem tantō majorem, quanto in ipso illu-
strior, verē animi invicti ac Generosi conspiciebatur magni-
tudo.

Hanc tantam animi magnitudinem, non more quorundam Mediana
abjecit, qui invidio quidem Heroes sese deprecant invictissimos,
qui pugnas narrare; bellica, nescio quae, stratagemata referre,
& suā extollere facinora solent; ad hostium tamen conspectum ac
ferocitatem, bombardam, bipennem, ballistam, hastam, aliāq̄
arma, quae gestans, celerrimē deponunt, & fugā, salutem consulunt;
Sed eandem ad summum usq̄ vitam spiritum, animo constantissimo
resistunt.

21.
retinuit, maluitq; sese in medium discrimen obijcere, quam quietam quam, quod Illustri Skytiana Familia esset inconueniens, committere.

2.
Hinc factum est, ut cum medio in prelio Stargardia, pro salute Patriæ, & Christianâ religione, hostium violentas impressiones, & nefarios conatus retardaret, vulnere tam lethali sic affectus, ut confestim visus sit in ipso facti limine stare!

3.
Nec multò post, morbi enati acrimoniam ingravescere, & horam mortis appropinquare extremam cum animadverteret, ad morem Epimanonda loqui cepit; O quam paleherrimum est mortis genus, in bello mori, quod pro veræ religionis defensione, & salute Patriæ geritur; quandoquidem hæc mors primùm cum Laude Fortitudinis conjuncta est.

4.
Tandem à justitiæ nostræ sole Christo, lumen immortalitatis & gratiæ accipens, sibi feliciter occidit; sed exercitui suo, maxime verò Illustris. suis Dn. Parentibus, Generosissimis suis Dn. Fratribus & Sororibus, inclytis Dn. Amicis, cæterisq; omnibus Dn. Heroibus, Luctuosissimè discessit!

Conseq.

I.
Hunc Illustrem ac Generosum Dn. Baronem, & Equitem Auratum, uti virum magnificimus; ita & vitæ defuncti memoriam summopere de veneramus, & votis conceptis optamus, ut erga Illustrè hunc Dn. Baronem, optime de Repub. hæc nostrâ literariâ meritum, beneficiorum humilimè memores, & sat benè, grati animi observantiam, contestatam facere possimus; Quem omnî virtutum choro instructissimum oculis nostris olim conspeximus; quem insigni eruditione & vitæ Sanctimoniâ ornatissimum quondam habuimus; quem inclytam hanc nostram Academiam suâ multoties Illustri præsentiam non condecorasse modò novimus, verùm etiam omnes ingenij nervos in id intendisse, ut summe floreret, vigeret; quem pro salute Patriæ, & grege Christi occubuisse, non sine gemitu ingenti auribus percipimus.

Laudibus condecorare defunctos, qui heroicè obijvere, in more positum

positum fuisse Gracis, à tempore Periclis, (qui teste Thucydide primus defunctos in bello Peloponnesiaco, pro concione laudavit) memorie traditam legimus. Idem usu venisse Romanis à tempore Valerii Publicolæ, qui primus collegam suum Brutum commendavit, apud Livium scriptitatum novimus; quanto itaq; magis, nobis, qui sub Christi vexillo pugnamus, incumbet, eos, qui vitam transigentes virtutum radiis, carbunculi instar coruscarunt, & placidè in Christo, Redemptore nostro unico, obdormiverunt, condignis laudibus prosequi. Hoc officii genus (si modò officium, ac non potius debitum nominandum,) ut ab omnibus ingenuarum artium, in inclita hac nostrâ Academia, Studiosis; ita præcipuè à me, quem Illustris illa SKYTTIANA Familia, innumeris tempore studiorum meorum, cumulavit beneficiis, suo quodam jure, piè in Christo Defuncti Manes exigere videntur.

Quod ipsum quamvis ingenij mei vires superare videatur, cum nec mihi vocis ubertas, nec Romana facundia gratia, ad dicendum quæ sentio sufficiat, dùm

Invida me spatii, natura coërcuit artus
Ingenij vires exiguasq; dedit.

Tamen ab incepto desistere cursu, serio vetat benefactorum memoria, & presentium temporum ratio.

Mecum itaq; constitui, ex hoc celebri loco, paucula de Laudibus Illustris ac Generosi Dn. Baronis Defuncti, modeste pro concione verba facere. Propositio.

Quod dùm conor, belli gloriâ & virtute Illustrium Ducum vestigia premam, qui cum ingruente bello, quo regiones ferro miscentur, angustiis locorum circumsepti, ad pugnam educere integrè exercitum non possunt, milites eos, qui scientiâ rei militaris sunt præditi, & à primis annis Martem sequuti: optimos & lectissimos, in primam aciem, cæteris remotis, subducunt. Ita angusto horulæ spatio inclusus, ea duntaxat in proscenium adducam, quæ nullatenus occultari debent, & ex maximo laudum numero, carptim quasi paucula designabo.

Petitio.

Sed antequam orationis meae ulterius vela expando: Ad vos, Aud. omnium ordinum Lectissimi, qui praesenti frequentes hunc in locum confluxistis tempore, partim ut amorem ac affectum vestrum erga pie & heroicè Dominum defunctum contestaremini, partim ut humanitatem ac condolentiam vestram erga Illustres, jamq; moestissimos Dn. Parentes declararetis; sese mea suppliciter con-versit oratio, submissè obsecrans, ut quotquot corpore hic adestis, animo quoq; sitis praesentes, & me tenui quadam Minerva, cursura vita bene acta nostri Dn. Defuncti delineantem, brevi temporis spatio benevolè auscultetis.

Confr.
Arg. 1. &
Parentib9.

Quod diu tribui concediq; mihi sentio, argumentis in veltissimis demonstrabo, Illustrem & Generosum Dn. Defunctum Baronem, Parentibus Perillustribus & Generosissimis, pietatis amantibus, eruditione insignibus, vita integritate claris, optimèq; de universa Sveonum Republica meritis, ortum suum acceptum referre

Ratio 1a
memb.

Quandoquidem Patrem habuit Perillustrem ac Generosum Heroa ac Dominum, Dn. IOHANNEM SKYTTE, Seniore, Liberum B. de Duderoff, Dominum in Grönsö & Strömstrum, Equitem Auratam, Regis GUSTAVI ADOLPHI Serenissimi & Regni Senatorem Magnificen-tissimum, Academia Upsaliensis Cancellarium, Finlandia septentrionalis Legiferum, & Regni Gothia Iudicem supremum, Dominum meum Gratosissimum; quem Sacra Regia Majestas, ob praeclaram animi virtutem, cujus eadem vis est qua flamma surgentis, ut diu lacere non possit, praemiis saepenumero amplissimis decoravit; quem, ob virtutis ornamenta insignia, omni honore ac laude, quae totius orbis oras longè lateq; pervagata, nullis terminis circumscribi, nullisq; orationis finibus includi potest, sic dignum judicavit, ut nullum in eo ornando, honestando, colendo locum aut tempus praetermiserit.

Cogitatione complectimini, A. O. quantus, quantus sit hic Heros.

Herot, quem S. R. Maj. nunquam non in oculis animoq̄ gerit
ad quem, tanquam oraculum aliquod, consilii capiendi gratiã,
unicè confugit; quem omnes adhuc suspiciunt, omnes admirantur,
omnes laudibus offerunt, ac beatum prædicant. Quid Illustrius,
quid Magnificentius unquam dici poterit, ad gloriam nominis
ejus sempiternam?

Innotuit cunctis, huic Perillustri Dn. IOHANNI Ratio 2.
memb.
SKYTTE, Seniori, rerum Cælestium curam maximè cordi
esse, cum omni sic tempore in ipso pietas eluxerit, & etiamnum elu-
ceat, ut cuius obivium sit, in ipsius tam pectore penitissimè
sedem ac domicilium suum reposuisse. Sic Pietatem amore comple-
ctitur, sic eam exosculatur, ut in ipso Religionis zelus tam conspi-
ciatur altus, tam latus, tam profundus, ut in quamcunq̄ partem
deflexerimus mentem, nec acie altitudinem, nec notions latitudi-
nem, nec animo profunditatem attingere possimus.

Vos Vbsalientes in medium provoco, ut, quod res est, eloqua- Ratio Ra-
tionis 1.
mini. Dicite, inquam; An non hujus Perillustri ac Generosi
Dn. Baronis ope & auxilio, curâ & inspectione sedulâ, Vestra
Universitas apud cæteras gentes ita laudem evincit, ut pulchrè ea
esse veræ doctrinæ domicilium, orbis schola, virtutis emporium
videatur, in quo Iuventus Nobilissima ad omne decus ac honesta-
tem erudiatur, informetur?

Vos Livonos producam, ut hujusce rei testes sitis locupletissi- 2.
mi; An non Perillustri ac Generosi hic Baro, cum rerum hisce
in terris publicarum Gubernacula teneret, maximis cura veræ
sumptibus Tempia erigi, collapsa restaurari, in quibus Gens Li-
vonica, de dogmatibus fidei, verâ ac sincerâ religione, vitæ mo-
rumq̄ integritate institueretur? An non omnes ingenii nervos in
id intenderit, ut Gens eadem, tunc temporis inculta nimis, piis
precaationibus pasceretur, abs Hæreseum fibris purgaretur, ut su-
perstitiones è medio tollerentur, expellerentur tenebræ, quibz è me-
dio sublatis, feliciore successu, sinceri Verbi Divini Ministri, quos

hinc inde convocari iussit, labantem Ecclesia statum, & pœnè
collapsam erigere, atq; ad nitorem, Legi Divinæ congruentem
reducere facilius possent.

3.

Vos Dorpatenses in proscenium adducam, quod si interroga-
remini, cuius operâ & industriâ à S. R. Maj. Academiâ estis
donati, quâ nihil præclarior, nihil vobis liberisq; vestris aut
utilius aut commodius ad pietatem excolendam, propugnandam,
conferrî potuerit unquam; fateamini necesse est, totum hoc bene-
fici Genus quancumcunq; est (quod certè maximum est) inter-
cessione huius perillustris Dn. Baronis apud S. R. Majestatem,
vobis collatum esse.

Sicco pede prætereo Illustrem, quâ Heros hic Illustrissim⁹ miri-
ficè, non secus ac splendidissim⁹ Sol jamdudum universo terrarum
orbi illuxerat, eruditionem, quâ nihil in homine, sive utilitatem
spectemus fructuosius, sive præstantiam divinius, sive oblecta-
tionem jucundius.

Ratio 3.
memb.

Nam sic à rudibus annis, optimarum artium studiis deditus,
ad res egregias & excellentes est enixus, suosq; ita labores omnes
ordinavit atq; instituit, ut ipse fortuna non invita, auspice Deo,
placido quodam virtutum occurso, gloriam mereretur, posteri-
tati amorem conciliaret, immortalitatem deniq; adipisceretur. Sic
studio Oratorio se mancipavit, ut nihil esset in Cicerone, in De-
mosthene, in Plauto, in Cesare, in Salustio, aliisq; Oratorib; sum-
mis, quod non degustaret; undè factum est ut in cathedra, in fo-
ro, in iudicio, in comitiis, in legationibus, quas non sine ingenti co-
ritius Regni commodo obiverat plurimas, apud Serenissimos Re-
ges, Potentissimos Duces, & Celsissimos Principes, sensa animi
tantâ eloqui claritate, tam distinctè, tam explicatè, tam abundanter
proferret, ut ullo absq; labore atq; negotio audientes sævitate
quadam perfunderet, & eorum animos, apertis & accommodatis,
ad obrinendum id, quod vellet, affectibus potuerit concitare.

Ratio 4.
memb.

Nihil de hujus Perillustris Baronis vitæ integritate & can-
dore

dore dicam, in cuius pectus ipsa honestas, tanquam in delubrum aliquod, confugit; in quo nihil Honestate reperitur ferventius, nihil in omni vitâ moderatius, nihil in sermone apertius; non ut Leones vestigia sua, sic sententiam tegit & occultat, sed extremo, cum, cum Achille, odio prosequitur, qui aliam callidè oratione sententiam exprimit, quam inclusam perfidioso subdoloq; potiore gerit.

Quid commemorabo res præclare ab ejus Illustritate gestas, quibus variis Reipub. modis inservit & profuit, cum nullus queat unquam esse tantâ ubertate ingenii, tantâ dicendi copiâ præditus, qui eas ita laudare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur.

O te verè beatû, Illustris defuncte Dn: Baro, quamvis mortuus sis, qui tali natus es Parente, Pietatis qui cultor est strenuus, qui vitæ integritate claret, qui virtutibus & rerum gestarum gloria eminet, qui maximum suæ Patriæ splendorem adfert, & suum nomen in orbis terræ memoriam sempiternam disseminat.

Laudes defuncti Dn. B. miris amplificat modis, Matris, quam habuit, Nobilitas, vitæ Sanctimonia, pudicitia & morum probitas.

In admirationem rapietur vestrum forsitan aliquis, quod dicere non fuerim subveritus, Defunctum Illustrem Dn. Baronem Laudibus extolli plurimum debere, eò quod matre natus sis Nobili ac Generosâ Domina, Dn. Mariâ NÄRVV, filia Nobilissimi & Generosissimi Dn. Dn. JACOBI NÄRVV, Gubernatoris quondam apud Dalkarlos Serenui: desinat quisquis fuerit mirari.

Siquidem Gentis ac Familiae, non minus quam arboris, Generositas ex fructibus cognoscitur, & ex virtutis suæ merito diligitur. Quod sanè meritum, quò diutius in eadem stirpe per plures atates transfunditur, eò preciosior & Generosior hæc haberi debet. Virtus enim honore gloriâq; non minus in animo humano, quam in agro plantarum fructus, cultu promovetur.

Conclusio.

2. Arg. à Parentib9.

Trans. 1. memb.

Ratio.

Ratio 2.
memb.

Quid referam de singulari Generosa hujus Baronissa pietate, precreatrice illâ & quasi parente reliquarum virtutum, quæ in hoc unice omnes suas curas intendit, huc cogitationes confert, hoc agit, hoc votis conceptis optat, ut in intimo mentis veluti theatro, uni, quem habet spectatorem, & testem, & omnium operum suorum arbitrum, placeat Deo, Creatori suo unico, & rerum omnium Moderatori sapientissimo.

Ratio 3.
memb.

Castitatem, Generosa Baronissa jure optimo depradico, cum ab ineunte aetate, in infantia, in virginitate, in conjugio, mentem servaverit semper tam castam, ut in illam nunquam alienor carnis cogitatio irrepserit; aures tam tertas, ut in illas nullam unquam ex inconyenienci sermone libata voluptas influxerit; oculos tam puros, ut in illos nulla unquam incurrerit vana spes; & ut rem verbo complectar, Virtutes ut summo studio coluit, ita & easdem jugiter sinu suo blandiore fovit, fetas amavit, amatas illesas ac illibatas conservavit.

Ratio 4.
memb.

Ut cæteris virtutibus famineo sexui competentibus undiq; stipata hætenus inceserat, & etiamnum incedit; sic & Svaritate sermonis, Amore veritatis, Liberalitate in egenos, Charitateq; in omnes, in tantum est decorata, ut profecto satius sit omnino admirari, quam verbis exornare eas conari.

Conclusio

Animo vobiscum perpendite, A. quantas sibi pie in Christo defunctus Dn. Baro appropriavit laudes, dum oriundus est Parentibus, quos magnificat Generis Generositas, quos ad sidera veluti erehit Pietas, quos commendat vita innocentia, & depradicanant preclara in universam Remp. merita.

2. Arg. 2
Nominè.

Conspicuum est omnibus, qui Christo nomina sua dederunt, quam sit necessaria quamq; salutaris parvulis, carnali generatione in lucem editis, spiritualis illa Regeneratio, quâ non solum ad Regnum Dei perducuntur, sed etiam à potestate Satana, & æternâ damnatione liberantur.

Ratio.
Jo

Cum è Sacro Codice edocti simy, omnem hominem, qui per concubitum

42
subitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, mortisq; subjectum esse; & ob hoc naturaliter iræ filium nasci, de quo dicit Apostolus; Erasmus naturâ filius iræ, sicut & cæteri & a quâ ira nullus liberabitur, nisi per fidem in Mediatorem nostrum Jesum Christum.

Nam per funestissimum Protoplastorum lapsum, desit in mente vera ac integra Dei cognitio; in voluntate libertas arbitrii ad bonum; in corde vera dilectio, timor Dei, ac studium obediendi Deo; & successit vicissim in mentem dubitatio & ignorantia, in voluntatem contumacia ad versus Deum, in cor prava inclinatio; & ut summam singula comprehendam, integritas omnis in inscitiam, puritas in malitiam, periculosa metamorphosi fuit conversa.

Ratio Relationis.

Hunc parvulorum, ante spiritualem regenerationem, statam plus quam deplorandam, pie secum Pij & Illustres Defuncti Dn. Baraonis Parentes, perpenderunt, dum confestim a natiuitate, hunc suum filiotum ad Sanctissimum lavacrum regenerationis adduxerunt, ut è dominio Satanae, in numerum filiorum Dei adscisceretur, & a sordibus peccatorum ablueretur.

Hypothesis.

Quandoquidem Baptismus stipulatio est bonæ conscientie, sive obligatio mutua Dei & hominis baptizati; Dei quidem, testantis se recipere personam baptizatam in gratiam; Persona verò baptizata, dantis fidem Deo, quod ritè eum colere velit.

Ratio Te-
memb.

Quemadmodum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit; Sic & longè magis, pro luceis, aureos facit, quos abluat Baptisma, cum Spiritus Sanctus, tanquam ignis, eâ ipsâ horâ, animos nostros ingrediatur, ut scriptum reliquit Divus Chrysostomus, Patrum ille antiquissimus & religiosissimus.

2. memb.

O te cerq; quaterq; felicem, Defuncte Dn. Baro, qui fœdus cum Deo in sacratissimo Baptismo initum, nunquam reddidisti irritum, sed illud quam firmissimè, arctissimeq; sacrum testamentumq; custodisti.

Conclusio.

custodivisti. O te verè Christianum, qui non tam nomine, quàm animo Christianus fueras, dum vitam tibi potius eripi passus es quàm fidem.

Arg. 3. ab educatione

A Baptismate cum vita suppeditaret, hunc suum filiolum Illustris Dn. Parentes tam piè ac religiosè educarunt, ut statim in tenera aetate in fronte Pueruli appareret pietatis fervor; in cœli gravitas; in genis morum conformitas; in oculis modestia; & cæterarumq; virtutum omnium splendor.

Ratio 1. memb.

Etenim sic educabatur, ut Dei cultum ac pietatem rebus cunctis anteponeret; Deum omnia videre, omnia procurare, bona bonis, malis mala dare, certissimum haberet, atq; vitam suam ita institueret, ut legi Dei conformiter viveret, & ea, quæ de Deo cultuq; divino à sinceris verbi Divini ministris præciperentur, quàm diligentissimè observaret.

2. memb.

Sic à Generosis Dn. Parentibus suis instruebatur, ut ea tantum sequeretur, quæ nisi vigilantes, nisi industrii homines assequi non possunt; quæ dignitatem, quæ gloriam, quæ nominis celebritatem, quæ decus ac famam sempiternam adferrent, & quæ digna essent, ut ad posteritatem propagarentur.

3.

Mores pij Dn. Defuncti, in illa aetatis teneritate si perpendere velimus, ij certè tam conspiciantur compositi, tam severi, tam graves, humanitatis tamen ac facilitatis condimento temperati, ut eos, quibus cum erat, & incredibili quâdam jucunditate conciliaret sibi, & exemplo suo ad omnem probitatem revocaret.

4.

Modestia, Sapientia illa vera ac genuina proles, sic in illo adhuc puero emicuit, ut neq; eum ferocem ingeni præstantissimi magnitudo, neq; superbam Illustris Nobilitas generis, neq; arrogantem Univerſus populi favor fecerit unquam: Sed sic in eo latuerit vera humilitas, ut facile quosvis perferret, & cum eis suavissimè conversaretur.

5.

O te fortunatissimum! qui admirabili quâdam ac verè divinâ prudentia

prudenciã, sic omnes inter se virtutes copulasti, ut immensus in-
 auditusq; laudum omnium, omnisq; gloria concentus in te apparo-
 rer. O te Sanctissimum, qui mores tuos sic virtutibus, quasi vi-
 vis coloribus expressisti, ut Sol vix ac ne vix quidem videris pu-
 rulum, aut perfectius civilem, aut nitidius Christianum! O te
 puerum non humanum, sed divinum, quã tandem admiratione
 complectar; aut quã de te summam admirationem cogitatione
 concludam? Si in te Puerò efferendo deficio, quã te voce Virum
 predicando sufficiam, quoniam nihil est in omni virtute atq; ho-
 nestate positum, quod tu à teneris usq; annis non ita perceperis,
 atq; exercueris, ut in eo quasicallum obduxeris. In te virtus non
 expectabat aetatem & annos; sed præveniens tua gloria, quos in
 aliis aetatis ultimæ fructus cernimus, primæ tuæ aetatis esse faciebat.

Arg. 4. vñ
 12 Generis

Excellenti à natura ingenio, & iudicii acumine, cum senti-
 rent Parentes Defuncti Dn. B. verè Illustres, filiolum suum
 exornatum esse, ab ipsã eundem infantia fidelis Præceptorum
 institutioni commiserunt, opes ut sibi eas, quæ nec furto eripi,
 nec incendio absumi, nec naufragio absorberi possent, acquireret.

Quod ut feliciter piè Defuncto succederes, Præceptores illi
 Illustris Dn. Parens non præfecit vulgares, non rerum imperi-
 tos; Sed eos, quibus curæ cordiq; fuit Puerorum ingenia Pietate,
 rerumq; pulcherrimarum cognitione imbueri, mores poliri, & effi-
 cere ut secum honestè viverent Discipuli; ac temporis successu, or-
 namento ac voluptati suis, emolumento toti Reipub. essent futu-
 ri. Quibus seriò in mandatis dedit, ut suum filiolum non leviter
 ac perfunctoriè, sed diligenter; non confuse, sed methodicè doce-
 rent; nec id tantum, sed & inspectionem morum haberent sedu-
 lam, ut vita cum verbis & doctrinã concinnè conveniret. Hinc
 filiolum suum paternè adhortabatur, partim ut secum animo volu-
 taret, hanc sibi iam præsentem esse aetatem, in quã nisi virtutis do-
 ctirinãq; faceret sementè, cum aetas profectior sequeretur, frustra ex-
 pectaret fructus; partim ut præceptoribus, anima sua curã gerentibus
 C
 debisam

81

debitam observantiam, debitumq; obsequium præstaret, eosq; filiali amore prosequeretur: Cum Natura ipsa, quasi nobis hoc ipsum demonstrare videatur, ut eos, tanquam parentes nostros amemus, qui nihil magis cupiunt, quam nos in omni doctrinæ genere erudire, qui dies & noctes illud unum cogitant, quomodo quam plurimum de nobis mereri possint. Quibus auditis, Puer Generosus, ut discendi cupiditate ardebat incredibili, sic & gloria stimulis concitatus, ad culturam mentis & lingvæ toto impetu ferebatur, tantumq; in eâdem profecit, quantum proficere potuit is, qui optimo ingenio, peracri iudicio, & naturali dicendi ubertate esset præditus.

Ratio.

1.

Namq; primò omnium ita diuini literis pectus instruxit, ita animum, Cimmericis quasi tenebris occæcatum, in Christianâ religione, cuius vis ea est, quæ nec obrui potest tenebris, quia splendida; nec coërceri angustiis, quia eminet, informavit, ut quotidie ad Dn. Parentes reverfus egregia pietatis & sanctitatis argumenta præbuerit, doctrinæ eruditionisq; monumenta reliquerit.

2.

Sic in præstantissimarum artium studiis primam ætatis partem exegit; sic continuò, tum exemplis excitatus, tum ipsâ hortante naturâ, artium humaniorum studia coluit, ut magna exinde fuerit exorta hominum opinio, magna commendatio ingenii, magna spes industriæ, magnus in literarum scientiâ & eloquendi sapientiâ campus, nec non omnibus apertissimus ad laudem cumulus. Vt primùm ex Ephebis excesserat piè in Christo Defuncto Dn. Baro, atq; aliis artibus, quibus ætas tenerior ad humanitatem informari solet, se ad sacra Eloquentiæ, Philosophiæ, Jurisprudentiæ, & SS. Theologiæ studium, non sine ingenti fructu, & summâ laude contulit.

3.

Ratio 1.
memb. 1.

Atq; Sacra Eloquentiæ primùm ut flosculos eo rectius colligeret, omnem diligentiam suscepit, omnes labores pertulit, omnes corporis voluptates neglexit, omniumq; aliarum rerum curam ex animo eiecit, & attentè præceptorum lectioni, Explicationi auscultat-

auscultavit; quacunq̄ memoratu digna audierat, ea vel scriptis mandavit, ut cum opus esset, inde peteret; vel quod longè præstantius est, ita meditando memoriæ infixit, ut nunquam amplius elaberentur, donec id tandem suâ sedulitate est consecutus, ut de civilibus negotiis ornatè loqui, & dicendo animos audientium flectere, eosq̄ pulchritudinis suæ stupore obstupefactos, quibusdam veluti habentis numerosa orationis regere posset.

Vos inchoos Dn. Professores in florentissimâ Vbsaliensium Academia iterum observanter compello, ut hujusce rei testimonium perhibeatis luculentissimum. Sic sanè mihi videmini loqui: Memoriâ nobiscum si repetamus, & rem equâ lance ponderemus, aliter dicere nequimus; quia Defunctus hic Dn. Baro, cum nondum caput super cathedram, ob parvam corporis staturam emineret, oratione svari & jucundâ, in quâ ornamenta fuerunt tanquam flores ad venustatem accommodata, pulpita nostra cohonestavit, condecoravit.

Ratio Rationis 1.

Idem & vos, Honorandi Dn. Patres Academia hujus Regiæ, que Dorpati est, tacitè vobiscum sermocinari oculis conspicio. Si quidem atate iam Adolescens, Defunctus hic Dn. Baro, usu, memoria, rebusq̄ omnibus ad dicendum instructissimus, paulò antè suum à nobis discessum consurgens, tam svari viter, tam clarè, tam doctè dixit, ut omnes in sui admirationem traheret. Quandoquidem in ipso perfecta enituit omnis dicendi ratio & Elegantiâ, ut quicquid in aliis authoribus vel ingenio expoliturum, vel industria elaboratum, vel artificio excultum reperitur, id omne in Defuncto Dn. Barone simul appareret.

2.

Vos, ô flos & soboles ingenue juventutis, qui ante aliquot annorum decursum, ad nostram hanc Academiam eo confluxistis animo, ut inde, tanquam à mercatu, domum aliquandò redeatis aucti optimarum artium proventu, quibus Patriæ usui, vobis honori, parentibus solatio, amicis auxilio esse possitis: Vos, inquam; contestor, ad vos provoco, ut quantâ assiduitate, quantâ animi cum delectatione, quantoq̄ vestro cum emolumento, dispo-

3.

fructus orationum vobis tradiderit elegantissimas, proloquamini.
Quid aliud contendetis, quam quod id Illustri ausu praestiterit
fidelissimè, felicissimè.

Ratio 2.
memb.

Post mentis aciem in cursu Philosophiae, quam plurimum sibi,
qui à primis pueritiae annis vitae probitati morumq; Sanctitati
studuerat, quondam profuturam ratus, non sine fructu uberrimo
excolere cepit.

Ratio.

Quoniam à Praeceptoribus suis accepit Philosophiam, eam
esse vitae gubernatricem, eam vitiorum expultricem, qua facilis
negotio posset omnem mentis errorem amputare, quasvis vitio-
rum fibras evellere, stirpes elidere, ac semina penitus extingui-
re atq; rescare.

Ratio 3.
memb.

Juris ac Legum cognitione sic impleverat pectus; quae in con-
sultationibus, in foro, in iudicium subsellis regnat; quae in omnium
majoris momenti controversiarum disceptatione ac dijudicatione
dominatur; ut ad omnes honores ac dignitates aditum ac viam
sibi splendidè pararet.

Ratio 4.
memb.

Tandem ad SS. Theologiam; quae aurea illa catena est,
quae cum caelestibus terrestria copulantur, quae scala illa est, cujus
in caelum gradibus ascendere licet; animum suum applicuit, atq;
tanto majori conamine & studio huic incubuit, quanto magis om-
nem humanae rationis captum exsuperat.

Conclusio.

O Illustrem te Dn: Parentem, inter Deos collocandum, qui
talem è Coniuge Baronissâ Generosissimâ suscepisti Filium, qui vi-
sus & cum immortalitate contendere; & visdem tecum alis ad æ-
ternitatem eniti!

Arg. 5. à
æb9 gestis
seu peregrina-
tione.
Major,

Neminem esse prorsus puto, qui non percipiat, Laudibus plu-
rimùm condecorari eos, in exteras qui Nationes abeunt, experien-
tiam ut sibi rerum acquirant, urbium ac Regionum situs, inter-
vallaq; locorum cognoscant; arcium munitiones ac propugnacula,
militumq; exercitia explorent; metallorum ubertatem, fluminum
cursus, & variorum animalium usus videant; mores deniq; popu-
lorū percipiant, quos, boni si sint, addiscant; si verò mali, fugiant.

Praecipue

Præcipuè cum eas, in dolio vitam cum Cynico qui vivunt, Ratio
videamus non laudibus solum nullis extolli, & à congressibus, &
conventibus publicis arceri; sed & inidoneos indignosq; reputa-
ri, Republicæ qui muneribus præfiantur.

Quia cum hominibus imprudentibus, Reipub. nihil negotii; Ratio Rati-
tionis.
Regitur enim prudentibus; Nihil cum imperitis, qui nec proximã
Thestulis vllam, nec Tiryri casam conspexerunt: Gubernatur
exercitatis, ut ad omnem fortuna utriusq; vim perssistat florida.
Nihil cum inertibus; stat vigilantibus, ut ab incursione & ho-
stium violencia vigeat libera; Nihil cum incautis; stat discre-
tis ut laudata; Nihil cum indoctis ac rudibus, stat Philosophis
ut beata, & nullo unquam tempore vacillat.

Quantas jam existimabimus, hunc piè Defunctum Dn. B. Hypothe-
sis.
sibi meruisse laudes, qui Regna quàm plurima, qui Regiones quàm
plurimas, easq; non Barbaras, non abjectas, non viles; Sed
Excultissimas, Nobilissimas, & rebus ad vitam necessariis usq;
ad abundantiam ditissimas, peragravit?

Regnum Amplissimum ac vastissimum Dania, è confinio Ratio.
Svecorum situm, peregrinando totum absolvit, quod puram re- Ic
ligionem nobiscum colit, eamq; unicam; quod nihil fœditate
deforme, nihil nisi cœleste prorsus & divinum admittit; quod Re-
gionibus, urbibus & insulis est refertissimum; quod fluminibus
ad mercaturas commodissimis, est irriguum; quod fertilitate soli
in tantum præstat, ut ad humanos usq; nihil requiri possit, cujus non
copiam suã sponte terra ferat, aut aliundè flumina comportent.

Hinc peregrinationes in Germaniam suscepit, qua non tam 2c
orbis totius pars est, quàm imago; qua Oceano ex parte circum-
funditur, mari Baltico alicubi cingitur, & fluminibus hinc inde am-
bitur; qua mollis est ad culturã, fertilis ad usum, grata ad aspectũ,
qua gentem alit præclarã, & Pietatẽ unicè fovet; Hanc, inquam;
uni versam sic visitavit, ut nulla fermè in totius Germaniæ oris
reperiatur Regio, nullã civitas, nullũ castellum, nullũ propugna-
culum,

culum, quod ipsi non esset quoad suum, munitiones, aliasq; circumstantias, quàm notissimum.

3. Nec Belgicam terrã secum præterire constituit, cū sæpè multũq; cognovisset è veterum Historiographorum scriptis, solam eam fuisse olim, cujus gentem nemo in bello numerarat, sed æstimarat; cujus virtutem Romani loquuntur, qui cùm subsidium ab hac, successus, victorias, triumphos, mutuati essent, laudem illi soli reddiderunt; eam oculatissimus perlustravit, & literis ibi aliquandiu operam tam strenuam dedit, ut præclaram de se spem omnibus faceret, verèq; se Parentis sui Illustris vestigiis insistere demonstraret.

4. In augustissimum Gallie se Regnum postmodum recepit, ut mores gentis tam præclara perspiceret; quæ ejus Reip. esset forma, quæ facies, quæ disciplina, quæ leges, quæ statuta animadverteret; multaq; alia addisceret, quæ sibi temporis progressu, dummodò vitam cunctipotens Deus suppeditasset, maximo essent usui futura.

5. Post in potentissimum & amœnissimum Angliæ Regnum se deferri passus est, ubi sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii, expectatio hominis; Expectationem ejus adventus, admirationeq; superaret. Vbi apparatu verè Magnifico, à Potentissimo ac Serenissimo Angliæ Rege excipiebatur, Eques Auratus, ob virtutis suæ specimina, solenni pompâ creabatur, muneribus amplissimis donabatur, & uno ut verbulo dicam, hunc Defunctum Dn. B. quem ut S. Angliæ Regia Maj. in optimarum artium studiis totum adolescentiæ suæ tempus exegisse cognoscebat, sic & fovebat, amabat, & præmiis plurimis ac maximis ad ardua quævis sustinenda excitabat.

Conclusio. Equis jam, nisi is, cui quidem capitis tholus satis magnus, cerebro autem vacuus, non intelligit, Generosum hunc vitæ Defunctum Dn. B. ob tantam tamq; eximiam, ac multiplicem rerum peritiam, maximum sibi gloriæ cumulum acquisivisse.

Sed

43

Sed frustra fortassis immoror, hæc apud vos, P. conscripsi, exaggerando, quæ jam estis cogitationibus prætervehti; Excitate tamen animos vestros longè majora auribus percipietis.

Arg. 6. 4.
reb. gestis.

Republicam pacis tempore, legibus; belli verò, armis optimè administrari ac gubernari, probè cum compertum haberet, suarum esse partium præ se tulit, ut animum nonnihil à studiis avocaret, arma capesceret, quibus Patriam dulcissimam veramq; religionem, multis cladibus oppugnatam, defendere pro virili conaretur.

Ratio.

Venià à Perillustri ac Generoso Barone Dn. IOHANNES SKYTTE Seniore, Patre suo inchyto, impetratà, confestim sese Equis exercitatisimum, usu arcuum, sceloporum, pyrobolorum dexterrimum, rebusq; ad belligerandum instructissimum, Campiduci nostro bellicosissimo, obtulit; ad veram religionem conservandam, augendam, amplificandam ire instituit.

Cujus illo ut primùm rei militaris prudentiam sensit insignem, dignum eum reputavit, qui non amplius domi victitaret, sed in castris; non rogatus in cubiculis quiesceret, sed sagatus in pellibus; non in ludo versaretur cum Magistris, sed in exercitu cum Imperatoribus maximè strenuis; quocirca Equitatu eum præfecit, Chiliarchumq; constituit; in quo sibi munere concredito, sic virtutem & ætatem suam exercuit, ut meritò in omniam fuerit amore; sic in hoc officii genere vitæ cursum peregit, ut nihil faceret, alienum quod esset à Pietate; nihil quod ab integritate distaret; nihil, quod animo verè Heroico esset indignum.

Regiam illam virtutem Pietatem, semper unicè habuit commitem, atq; ab eadem initium dictorum, consiliorum, omniumq; factorum suorum sumpsit; Huic se totum consecravit; in ea omnia sua posuerat, & sic in eà se exercuerat, ut honestati quod conveniret, maximi faceret; quod repugnaret, nihili æstimaret. Hanc tanto studio, tantà vigilantia, tantà assiduitate coluit, ut propemodùm ejus amoris ardore conflagraret.

Ratio 7.
memb.

Nec

h. merita.

Nec poterit quisquam de hujus Generosi Dn. B. integritate dubitare, qui per omne antea vite spatium talem se præstitit, ut tanquam perfectum & absolutum antiquæ illius innocentie & integritatis Exemplum, omnium prædicatione commendaretur.

g. memb.
occup.

Sed mirabitur aliquis, quæ fieri potuerit, cum, qui maximam vite partem in castris Musarum exegerat, potuisse Exercitiis bellicis fuisse assuetum, ad labores suscipiendos aptum, ad discrimina adeunda intrepidum?

Solutio.

1.

Verum tu, quis quis es, memineras, sic Illustræm Dn. B. Literis invigilasse, ut exercitia bellica non negligeret; A studiis enim animū cum relaxaret, non se otio turpi, quod pulvinar Diaboli est, dedit; non se voluptatibus constringendum tradidit; nec rebus inhonestis unquam indulxit; sed ea sibi negotia pertractanda suscepit, quæ exigis Patriæ ab insultibus Tyrannorum vindicatio; quæ requirunt motus bellici & hostium irruptiones; quæ animū confirmare solent, ne in rebus secundis offeratur, in adversis frangatur; sed ut contra omnem fortuna nocentis impetum, steterit immotus.

2.

Animo verè Heroico Defunctum Dn. B. prædictum fuisse, demonstrant præclara, quæ in bello, quod contra Pontificios & Casarianos suscipitur, omnium, post homines natos quæ gesta sunt, maximo, ab ipso patrabantur facinora; dum in ipso belli conflictu, cum exaudiebatur strepitus armorum asperrimè, concursusq; acerrimè, nihil hostem immanissimum, & nostris cervicibus frequentiam militum aspectu horribilem impendentem reformidabat; sed hostem intrepidè aggrediebatur, ut injuriam toti Christianorum orbi illatam propulsaret, exultantem hostium malitiam reprimeret, comperceret audaciam, frenaret insolentiam, & contumaciam perstringeret.

Conclusio

Quis, hisce cognitæ auditisq; contendere audeat, hunc Defunctum Dn. B. meritæ gloriæ laude non esse cohonestandum, qui existimaret, inter Generosos titulis tantis eos esse indignos, qui

10
qui preciosis atq; auratis vestibus induuntur, qui aurea monilia
solum circumportant; & non virtute sua, se suosq; pro virili co-
nantur illustrare; pro salute Patriæ, religionisq; conservatione,
excubare; & sanguinem pro grege Christi, urgente sic necessitate,
profundere; sic se virtute nobilem, & nobilitate virtuosum ac
Generosum esse, luculenter declaravit, horum dum nihil omisit,
sed singula ad amussim esse persequutus.

Illustrem & Generosam Familiam Skytianam, ex qua or- Ratio II,
tum trahit, miris modis exornata; per totum vitæ suæ curricu- memb.
lum, sic virtutes excoluerat, ut eadem non ita in illo extiterint,
ut una tantum excelleret; sicut in Themistocle Fortitudo, in A-
ristide Iustitia, in Xenocrate Temperantia, in Solone Sapien-
tia; sed omnes excellentes, omnes eximia; ita tamen, ut nihil For-
titudini ejus detraxerit Patientia, nihil Gravitas Mansuetudini,
nihil Misericordiæ Iustitia, nec ullam Hilaritati Severitas nube-
culam unquam obduxerit. O decus Illustris Skytianæ Fami-
liæ insigne! Ah! quæ poterit unquam Patri Perillustri major
accedere gloria, quam in Solis aspectum genuisse filium, splendore
generis, sanctitate morum, admirabili doctrinâ, & exquisitissi-
mâ scientiarum cognitione præstantissimum, bellicâ virtute glo-
riosissimum. Magna laus Matri Generosissimæ hæc est, quod
eum intra uterum conceperit filium, in utero conceptum in lucem
eduxerit, in lucem educatum fovit, ama verit, qui pro optimâ ma-
tris educatione, maximum reddidit Matri decus, maximum or-
namentum!

Neminem arbitror tam perfrectæ frontis esse, qui dicat, 2. Memb.
hunc defunctum Dn. Baronem, multa pro verâ Religione tuenda, Ratio 16
multa pro salute Patriæ incommoda, quæ undiq; in bellicis tumul-
tibus sunt obvia, non perpeffum esse; qui non frigus modò, aestum,
ventorum intemperiem, imbres, pluvias, grandinem, nivem pa-
cienti animo, aliasq; varias belli calamitates, per quas juxta tem-
porum, locorumq; difficultates transiverat, perculit; sed & eica-
trices, vulneraq; gravissima sensit plurima,

D

Qui

2.

Quis ibi negatum, Patriam eum, vi armisq; masculè defendisse, & pro salute publicâ, pro honestate, pro communi utilitate, pro vero Dei cultu, acriter depugnasse; qui praelio non interfuit modo, sed præfuit, & summâ quidem cum laude præfuit; nec id solùm, verùm etiam vultu minaci, vigilantibus oculis, animo forti, primus omnium (uti Chiliarchum Serenuum decet) hostem invasit, primus tela tractavit, ante signa processit, & in ipsâ pugna versari mole primus est spectus.

3.

Quis tam furibundus existat, qui non percipiat, Defunctum Dn. Baronem, Sanctæ Religionis propugnatores extitisse dexterrimum, qui oppugnatione facta Scargardie, cui cū equitatu suo præfuit, ut ab irruptione ea esset libera, cura ab incursionibus hostium, vacua ab intestinis tumultibus & seditionibus, nec non omnis metus expers & sollicitudinis, se è praelio non subtraxit, sed hosti crudelissimo portas urbis effringere volenti, obviam animo maximè Serenuo ixit, eumq; sic iteratis vicibus recudit, repressit, ut terga fugæ præberet; Hostium multos hastâ transfixos è muris deturbavit, multos cominus pugnantes, gladio clypeoq; impulsos præcipitavit, donec fracto crure è globulorū ictibus in terram dilaberetur. Sed, percipite A. I. animum Defuncti Dn. B. tum verè Heroicum; qui cū corpus è nimio sanguinis fluxu obrigessere cæperat, membra deficere, cor occupari, stentoriâ voce clamavit: Nolite! Nolite, Equites Bellicosissimi, animum despondere: Nolite, mei causâ expallescere: Sed id unum ad extremum usq; vitæ spiritum agite, ut hostem fugando, detruncando, decollando, Patriæ prodesse possitis.

Conclusio.

O animum verè divinum & inexpugnabilem! quem nec mollire poterat unquam voluptas, nec deterrere periculum, nec fortuna secunda efferre, nec adversa deprimere; mortem per decus acceptam, immortalitatis instar; vitam per dedecus retentam, quævis morte pejorem arbitrabatur: undè nihil intentatum reliquit, quò famam suam in orbis terræ memoriam se disseminare posse existimabat; sed vitâ ipsam pro dignitate & laude profudit.

O ani-

O animus invictus! qui imminente mortis necessitate, nil cerrebat, nec doloris acerbitate frangebatur, sed quævis satis æquo animo expectabat. Et ab hujus vitæ miseris, & turbulentissimis tempestatibus, ad securissimum quietis & tranquillitatis portum, cum sentiebat jam jam se morte deferendum; viatico cœlesti, quo tutior in Patriam, Paradisum videlicet cœlestem, iter ingrediretur, unice se præmuniri cupivit: quamobrem Verbi Divini Ministro ad se convocato, errata submissâ animi subjectione confitebatur, eorumq; sibi veniam, per & propter meritum Christi, à Deo Patre suo cœlesti, quam humilime petiit, & sacrosanctum Christi Corpus ac Sangvinem, tanto cum gaudio, tantâq; devotâ animi cum de veneratione suscepit, ut visus sit jam non amplius in terris inter mortales vitam degere, sed in cœlesti Beatorum choro, cum sanctis Angelis in cœlo triumphantibus, præ gaudio exsilire; quò non multò post placidâ obdormitione, somno suavissimo quàm similimâ, anima vinculis corporis soluta commigravit, ubi nunc fruitur festi vitate sine fine, eternitate sine labe, serenitate sine nube, sanitate sine infirmitate, pulchritudine sine deformitate, jucunditate sine mœrore, luce sine tenebris, die sine nocte, vitâ sine morte.

Percepistis, A. O. vitâ Defunctum Dn. Baronem, & E-Peroratio,
 quitem Auratum, sanguine Parentum fuisse Illustrum; qui ortus à Parentibus Perillustribus ac Generosis: optimeq; de Republicâ totius Regni Sveciæ meritis: Cognovistis, quàm ab isdem probè, à primis annis, in verâ pietate, morumq; gravitate fuerit educatus, ut per omne ætatis tempus, insignis in ipso effulserit vis sanctitatis, & innocentia vitæ. Audivistis, Defunctū hunc Dn. Baronem, tanta fidelitate à Dn. Præceptoribus suis fuisse edoctum, ut temporis successu in Virum doctrina Illustrum evaserit. Auribus vestris percepistis, insigni eum bellicâ virtute claruisse, præclarè universæ vitæ cursum confecisse, & laudabiliter occubuisse; dùm nulla poterit ullo unquam tempore
 D 2 mors

mors censeſſi beator, nulla pulchrior, nulla fortunatior, quàm
quæ natura debita, pro Patria ſolvitur, & in bello redditur.

Amplifi-
catio.

Quemadmodum priſco ſeculo, apud Hebræos præclara vir-
tutis æqui æſtimatores qui fuerunt, Eleazarem; ob egregiam
ſuo quam navarat Regi in prælio operam, dum Philiftæorum
tamdiu aciem dimicando ſuſtinuerat, donec deficeret ejus manus,
& præ laſcitudine obrigeſceret; laudibus extulerunt, dignumq̃
judicârunt, cujus memoria grata conſervaretur; Ita & nos,
qui non rem bellicam, hominum multitudine, neq̃ corporum
proceritate; ſed animorùm virtute metimur & expendimus, ſum-
mâ ope niti decet, ut huic vitâ Defuncto Dn. Baroni gratos nos
exhibeamus, qui, ut omni Pietate S. R. Mtem coluit, & debi-
tam ſubjectionem, debitamq̃ humilitatem præſtitit; ſic & pro
S. R. Mtris dignitate, Chriſtianâ fide ac religione, Patriæq̃
ſalute, non dimicare ſolum, ſed ſanguinem Heroicè profunderè
non dubitavit.

Affectuum
motio.

Vos jam, Perilluſtres & Generoſiſſimi Dn. Parentes; Voſq̃
Incltyci Fratres, & Generoſiſſimæ Sorores; vos Illuſtres Heroës
Affines & Conſanguinitate juncti; dolorem & caſum hunc Pa-
trientiâ lenite: E turbulentiſſimo hoc ſeculo, in requiem; è
bello in pacem; è morte in vitam commigravit, ubi ſapientia
ſine ignorantia, ubi memoria ſine oblivione, ubi intellectus ſine
errore, ubi ratio ſine obſcuritate fulget; ubi perfectâ viget in
omnibus charitas, una omnium læticia, una jucunditas. Lugu-
bria exuite; quieſcat ploratus: cum Jobo, Viro illo ſantiſſimo,
dicite; Dominus dedit, Dominus abſtulit; Sit nomen Domini
benedictum,

D I X I.

